

AMICITIA.

1. Nescio utrum christianæ amicitia putandæ sint, in quibus magis valet vulgare proverbium: Obsequium amicos, veritas odium parit, quàm ecclesiasticum: Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. *Aug. in epist. ad Hierony.*

2. Si voluntatem Dei quisque nosse desiderat, fiat amicus Deo, quia si voluntatem hominis, nosse quisquam vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam deriderent; non autem quisquam efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus. *Aug. contra Manich. li. 1.*

3. Esto similis medico: medicus non amat ægrotantem, si non odit ægritudinem, ut liberet ægrotum, febrem persequitur. Nolite amare vitia amicorum vestrorum, si amatis amicos vestros. *Aug. in quodam ser.*

4. Hæc est perfecta amicitia, qua potius potiora, et minus minora diligimus. Sapientem animam et perfectam talem diligit, qualem videt. Illam stultam, non talem, sed quia esse perfecta et sapiens potest, quia nec se ipsum debet quis stultum diligere: nam qui se diligit stultum, non proficiet ad sapientiam, nec fiet quisquam qualis cupit esse, nisi se oderit qualis est. *Aug. de vera relig.*

5. Nullius repudianda est amicitia sese ingerentis ad amicitiam copulandam, non ut statim recipiatur, sed ut recipiendus optetur, atque ita tractetur ut recipi possit. Illum enim in amicitiam recipere debemus, cui omnia nostra consilia refundere audeamus. *Aug. lib. 12. questionum.*

6. Nihil sic probat amicum, quemadmodum oneris amici supportatio. Nemo nisi per amicitiam cognoscitur, et ideo amicorum mala firmiter sustinemus, quia bona eorum nos delectant et tenent. *Aug. ib.*

7. Sicut amici adulantes pervertunt, sic inimici litigantes plerunque corrigunt. *Aug. 9. confessionum.*

8. Non omnis, qui parit, amicus est, nec omnis qui verberat inimicus. Melius est cum severitate dilige-

re, quam cum lenitate decipere. *Aug. ib.*

9. Amicitia in malo esse non potest. *Aug. ad Consent.*

10. Sunt quidam amici amicitia mala, quæ nec amicitia dicenda est, quia mala conscientia facit. Sunt enim homines, qui pariter mala committunt, et ideo videntur sibi juncti quia conscientia mala ligati sunt. Excepta ista nefaria amicitia, est quedam amicitia carnalis per similitudinem habitandi, colloquendi, simul conversandi, ut tristetur unus, quum deseritur ab amico, cum quo solet colloqui et habere conjunctionem, conveniunt duo, ambulant secum triduo, et jam nolunt à se recedere, et ista quidem amicitia est honesta, sed est consuetudinis non rationis, habent enim illam et pecora. Duo equi manducant simul, desiderant se ad aliam diem præcedit unus, festinat alter, desiderans quasi amicum suum, vix regitur à possessore, et tandiu se impetu suo provocat, quousque ad alium perveniat. Et est alia amicitia superior non consuetudinis, sed rationis, qua diligimus hominem propter fidem, et mutuum benevolentiam in ista vita mortali, ac superius quicquid invenimus divinum esse, incipiat homo amare, et non amabit in homine, nisi Deum. *Aug. in quodam sermo.*

11. Amicitia pauperum certior, quam divitum. *Aug. lib. 1. de Amic.*

12. Amicus animæ dimidium. *Idem 3. Conf.*

13. Amicus vitæ medicamentum. *Id 6. de Civ. Dei.*

14. Solus est qui sine amico est. *Ibid.*

15. Amicitia venenum suspicio. *Idem.*

16. Amico laudanti credendum non est, sic ut nec inimico detrahenti. *Idem.*

17. Non enim propterea debes amare amicum ut aliquid tibi præstet, ut pecuniam vel aliquid commodi temporalis, non illum amas, sed id, quod tibi præstat: amicus gratis amandus est, propter se, non propter aliud. Si autem coarctat te amicitia regula, ut gratis diligas, quàm gratis amandus est Deus, qui jubet ut hominem diligas? Nihil delectabilius Deo. *Aug. ibidem.*

18. Solatium hujus vitæ est, ut habeas cui pectus

tuum aperias, cui arcana communices, cui secreta tui pectoris committas, ut colles tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur: facilis vox et communis, tuus sum totus, sed paucioris est effectus. *Amb. de offi. li. 3.*

19. Virtus est amicitia non quaestus, quia non pecunia paratur, sed gratia, nec concertatione benevolentiae. Meliores amicitiae sunt inopum plerumque, quam divitum, et frequenter divites sine amicis sunt, quibus abundant pauperes. Non est vera amicitia, ubi est fallax adulatio. *Idem.*

20. Objurget amicus amicum, non jactantiae studio, sed affectu charitatis, neque admonitio aspera sit, nec objurgatio contumeliosa. *Ambr. de offic. mon. lib. 5.*

21. Si quid vili in amico cognoveris, corripe occulte: si non audierit, corripe palam: errantem amicum corripere, incorrigentem animo deseras. *Ambr. ibi.*

22. Defer amico, ut aequali, nec te pudeat si praeveneris amicum in officio. Amicitia enim superbiamentum nescit. Nam sicut amoris est deferre, ita qui odit, quaestiones movet, et qui amat, defert reverentiam. *Amb. ibi. de offi.*

23. Amicitia, quae desinere potuit, namquam fuit vera. *Idem.*

24. Amicitia rerum omnium est vinculum. *Idem de fide rerum invis.*

25. Solem e mundo tollunt, qui tollunt amicitiam. *Idem de amic. c. 7.*

26. Vera illa amicitia est, et Christi glutino copulata, quam non utilitas rei familiaris, non praesentia corporum tantum, non subdola et palpans adulatio, sed Dei timor et divinarum scripturarum conciliant studia. *Hiero. in episto. ad Paulin.*

27. Amicitia parem aut facit aut accipit. Ubi inaequalitas, et alterius eminentia, alterius subjectio, ibi non tam amicitia quam adulatio est. Unde et alibi legimus. Fit amicus eadem anima. Et Lyricus pro amico precans, Serves, inquit, animae dimidium meae. *Hiero. super Mic. prophet.*

28. Delicata est amicitia, quae amicorum felicitatem et divitias sequitur. *Hiero. ibi.*

29. Obsecro te, ne amicum qui diu quaeritur, vix invenitur, difficile servatur, pariter cum oculis, mente amittas. *Hiero. in episto. ad Rufinum.*

30. In amicis non res quaeritur, sed voluntas, quia et alterum ab amicis saepe praebetur, alterum sola charitas tribuit eadem velle et eadem nolle firma amicitia est. *Hiero. ad Demetriadem.*

31. De amicitia omnis tollenda est suspicio, et sic cum amico quasi cum altero sese loquendum. *Hiero. in episto.*

32. Cum incaute malorum amicitia jungimur, eorum culpis ligamur, ab illo, qui summe rectus est, eo ipso jam discrepat, quo malorum amicitia vita nostra concordat. *Greg. in pastorali.*

33. Amicus animae custos dicitur.

34. Philosophus sic inter hostes vivendum censuit, tanquam inter amicos, ac inter amicos, ac si in mediis hostibus viveretur. *Chrys. in Policratico lib. 5.*

35. Ubi amicitia permanet, nil facile creditur, nil facile recipitur quod dissidium possit operari. Si vero semel inimicitia occupaverint animos, omnia, quae sunt, quae dicantur, quae audiuntur, ita recipiuntur, ut ad majores proficiant inimicitias. *Chrys. super Matheum.*

36. Non sunt fideles in amicitia, quos munus, non gratia copulat, nam cito deserunt, nisi semper acceperint. Dilectio enim quae munere glutinatur, eodem suspenso dissolvitur. *Isid. lib. 5. de sum. bono.*

37. Nonnunquam accidit ut inter amicos aliqua re dargutionis nutrita discordia majorem postea charitatem paruriat, utpote quum corriguntur ea, quae displicere in amico videntur. *Isid. ibid.*

38. Amicitia et prosperas res dulciores facit, et adversas communiōne temperat, et leviores reddit, quia dum in tribulatione amici consolatio adjungitur, nec animus frangitur, et minus eadem patitur. *Isid. ibid.*

39. In prosperitate incerta est amicitia, nescitur enim utrum persona an felicitas diligatur. Saepē enim

per simulationem colitur amicitia, ut qui non potuit aperitè decipere, fraudulentè decipiat. *Isido. ibid.*

40. Sæpe propter honorem quorundam mutantur et mores: et quos ante conglutinatos charitate habuerunt, postquam ad culmen honoris veniunt, amicos habere despiciunt. *Isido. de summo bono.*

41. Necessitas amicum probat, et intimæ charitatis ardorem splendor exhibitæ subventionis elucidat. *Cassiodoro. in quadam epi.*

42. Novæ dignitates veteres solent amicitias immutare. Creat enim cor novum et novos affectus novæ dignitatis concientia. Divites facti, paupertatis amicos, cum paupertate fastidiunt, ne quid penes eos de veteri videatur inopia recedisse. Semper enim apud indignos mores crescit cum potestate supercilium. *Cassio. ibidem.*

43. Qui verè amicus est, omni tempore diligit, nam eum tormentum non separat, labor non laxat, thesaurus non superat, alienus amor non occupat. *Cassio. in epist.*

44. Amicitia tantò certior est, quantò vetustior: quia facile mutari non potest, quod per longa secula custoditur. *Cassio. in epist.*

45. Justum est enim ut qui amicus erat in prosperis, amicitias profiteatur in adversis. *Cas. ibid.*

46. Sine amicis omnis cogitatio esset tædium, omnis operatio labor, omnis terra peregrinatio, omnis vita tormentum, sine quorum solatio, vivere esset mori. *Cassio. ibid.*

47. Amicus est, qui nobis usu vitæ similis pio ac fideliter jungitur. *Cassio. super psal.*

48. Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos profuit, inter optimos consummatur. *Cass. in ep.*

49. Tantum diligo inimicum qui mihi nihil facit mali, quantum amicum qui mihi nihil facit boni. *Ibidem.*

50. Chara est uxor, dulces liberi, jucundi amici, accepti affines: sed postea cognitis nulla benevolentia accedere debet, quæ priorem exhauriat. *Val. lib. 1.*

51. Bias ita ajebat homines in usu amicitia versari, ut meminissent eam ad gravissimas inimicitias posse converti. Quod quidem dictum prima facie nimis fortas-

se callidum videtur, inimicumque simplicitati: quia præcipue familiaritas gaudet, sed si altioribus animis cogitatio demissa fuerit, per quam utile reperietur. *Val. maxi. lib. 7.*

52. Amicitia est divinarum humanarumque rerum summa cum benevolentia consensus. *Tul. de ami.*

53. Itaque cives potiores quam peregrini, propinquam quam alieni: cum his enim amicitia natura ipsa peperit, sed ea non satis habet firmitatis, nam in hoc præstat amicitia propinquitati, quod ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitia non potest. Sublata enim benevolentia, amicitia nomen tollitur, sed propinquitas manet. *Tul. de ami.*

54. Excepta sapientia nihil melius datum est homini à diis immortalibus amicitia. Quid enim dulcius, quam habere cum quo omnia audeas sic loqui ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes amicum, qui illis æque ac tu ipse gauderet? Adversas etiam ferre difficile esset, sine eo, qui illas gravius etiam quam tu ferret. *Tul. ibidem.*

55. Amicitia res plurimas continet, quocumque te verteris, præsto est, nullo loco excluditur, nunquam in-tempestiva, nunquam molesta est. Itaque non aqua, non igne locis plurimis indigemus quam amicitia. Nam et secundas res splendidiore facit, et adversas partiens communicansque leviores. *Ibidem.*

56. Amicitia absentes adsunt, egentes abundant, imbecilli valent, et quod difficilius dictu est, mortui vivunt. *Tul. ibidem.*

57. Si ex rerum natura amicitia conjunctionem demeris, nec domus ulla, nec urbs stare poterit, nec agricultura permanebit. Quanta etiam vis ejus sit, ex dissensionibus atque discordiis percipi potest. Quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma est civitas, quæ non dissidiis funditus possit everti? *Ibidem.*

58. Si utilitas amicitias conglutinaret, eadem commutata dissolveret, sed quia natura mutari non potest, idcirco veræ amicitia sempiternæ sunt. *Tul. de amic.*

59. Nulla est excusatio peccati, si amici causa pec-

caveris: nam cum consiliatrix amicitiae virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si à virtute defece-
ris. *Ibidem.*

60. Hæc enim lex in amicitia sancitur, ut neque rogemus res turpes, neque rogati faciamus. Turpis enim excusatio hæc est, et minime accipienda, tum in cæteris rebus, tum si quis contra rempublicam se amici causa fecisse fateatur. *Ibidem.*

61. Præcipiendum est ergo bonis, ut si in hujusmodi amicitias ignari casu aliquo inciderint, ne existiment se ita alligatos, ut ab amicis in rempublicam peccantibus non discedant. *Ibidem.*

62. Quis est, qui velit omnibus opibus circumfluere, atque in tanta rerum abundantia vivere, ut neque diligat quemquam, neque ab ullo diligatur? Hæc enim tyrannorum vita nimirum, in qua nulla fides, nulla charitas, nulla stabilis benevolentiae potest esse fiducia. Solem igitur à mundo tollere videntur, qui amicitiam à vita tollunt. *Ibidem.*

63. Sunt igitur firmi et stabiles et constantes eligendi, cujus generis magna penuria, et judicare difficile est, nisi sit expertum. Ideo verum est id quod dicitur, modios multos salis simul edendos esse, ut amicitiae munus expletum sit. *Ibidem.*

64. Verus amicus nunquam reperietur. Est enim is qui est tanquam alter idem. Sed plerique perverse, ne dicam impudenter, habere talem amicum nolunt, quales ipsi esse non possunt, et quæ ipsi non tribuunt amicis, hæc ab eis desiderant. *Tul. ibidem.*

65. Multi divitias despiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultusque delectat. Honores vero quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanium, nihil esse levius existiment? Itaque cætera, quæ quibusdam admirabilia videntur, permulti sunt, qui pro nihilo putent. De amicitia omnes ad unum idem sentiunt, et hi, qui se ad rempublicam contulerunt, et hi, qui rerum cognitione doctrinaque delectantur, et hi, qui suum negotium gerunt otiosi: potremo hi, qui se totos tradidere voluptatibus, sine ami-

citia vitam nullam esse sentiunt. *Tul. de ami.*

66. Cujus aures clausæ veritati sunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus salus desperanda est. Scitum est enim illud proverbium Calonis: Multò melius de quibusdam acerbos inimicos mereri, quam eos inimicos, qui dulces videntur, illos sæpe verum dicere hos vero nunquam. *Tul. de ami.*

67. Nulla hæc est amicitia, quum alter verum audire non vult, alter ad mentiendum est paratus. *Tul. ibi.*

68. Qui fortunis alicujus inducti, amicitiam ejus secuti sunt, hi simul ac fortuna delapsa est, evolant omnes. Quum enim recessit ea res quæ fuit consuetudinis causa, nihil superest quare possint in amicitia teneri. *Tul. 2. rheto.*

69. Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris esse, cum nunquam potes inter inimicitias confidum posse habere. *Ibidem.*

70. Præclare scriptum est à Platone, non solum nobis nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat, partem amici: atque ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se, alii aliis prodesse possent. *Tul. 1. de offi.*

71. Inter bonos viros ac Deum amicitia est conciliante virtute: amicitiam dico, imò necessitudo et similitudo. *Sen. rep. 5.*

72. Mibi defunctorum amicorum cogitatio dulcius est, habui enim illos tamquam amissurus, amisi tanquam habeam. *Ibid.*

73. Sunt qui effusius mœrent quia verentur ne dubium sit an amaverint. Sera judicia sui affectus quærunt. Si habemus alios amicos, male de his et meremur et existimamus, quia parum valent in unius elati solatium. Si non habemus, majorem injuriam ipsi nobis facimus quam à fortuna accepimus, illum unum abstulit, nos quemque non facimus, deinde nec unum quidem nimis amavit, qui plusquam unum amare non potuit. *Sen. 65. epi. ad Lucil.*

74. Post amicitiam credendum est, ante judican-

dum. Illi vero præpostere officia permiscet, qui cum amaverint, judicant, et non amant, cum judicaverint. Diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit; quum placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quam tecum. Cum amico omnes cogitationes tuas misce, fidelem si putaveris, facies. *Seneca. 1. epistola.*

75. Vera amicitia est, quam non spes, non timor, non utilitatis suæ cura avellit, multos tibi, qui non amicis, sed amicitia caruerunt: hoc non potest accidere, quum animos in societate honesta capiendi par voluntas trahit: sciunt enim ipsos omnia habere communia, et quidem magis adversa. *Seneca ibid.*

76. Monstrabo tibi amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficæ carmine. Si vis amari, ama: jucundius est amicum facere, quam habere, quomodo artificis jucundius est pingere, quam pinxisse. *Seneca. in epistol. 6.*

77. Qui amicus est, amat: qui amat, non utique amicus est. Amicitia semper prodest, amor aliquando nocet. Non est quod amicum tantum vel in foro vel in curia quæras, si diligenter attenderis, domi invenies. Errat enim, qui amicum in atrio quærit, et in convivio probat: in pectore enim amicus non in atrio invenitur. *Seneca. 29. epist.*

78. Non sum amicus, nisi quicquid agitur ad rem pertinens, meum sit, consortium omnium rerum, inter nos facit amicitia: nec secundi quicquam singulis, nec adversi in commune vivitur, conversari cum amicis habentibus licet, et quidem quoties velis, quamdiu velis, amicus animo possidendus est. *Seneca. 48. epist.*

79. Non potest quisquam bene degere, qui se tantum intuetur. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere. Hæc societas diligenter et sancte observata, quæ nos homines hominibus miscet, et indicat aliquid esse commune jus generis humani. *Seneca. 79. epist.*

80. Nihil æque ægrum reficit sicut amicorum affectus, non judico me mori, quum illos superstites reliquero: puto, inquam, me victurum, non cum illis, sed per illos. *Seneca. 79. epist.*

81. Dissimilitudo morum, distantia vitæ, et ingenia contraria solvunt amicitiam. Amicitias probatas enixe expete, constanter retine, perenniter serva, inimicitias indictas exerce honeste, tarde crede, celeriter depone. *Seneca. in extrema parte epistolarum.*

82. Omnes amicos habere operosum est: satis est inimicos non habere. *Seneca. ibid.*

83. Nunquid amici novi anteponendi sunt veteribus, ut equis veteribus teneros anteponere solemus? Hæc indigna homini dubitatio est, vetustissima quoque debent esse suavissima in amicitia. *Seneca. ibidem et Tul.*

84. Nullum habet majus malum occupatus homo, et bonis suis obsessus, quam quod amicos sibi putat, quibus non est, et quod beneficia sua efficacia judicial ad faciendum amicos, cum quidam quo plus debent, magis oderunt. *Seneca. ibid.*

85. Qui se spectat, et propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat, quemadmodum cœpit, sic desinet: necesse est ut initia inter se et exitus congruant. Qui enim utilitatis causa adsumptus est, tandiu placebit, quamdiu utilis fuerit, hunc florens amicorum turba circumscedit, circa eversos solitudo est, et veri amici fugiunt, ubi probantur. *Seneca. 9. epist. ad Lucil.*

86. Negotiatio est non amicitia quæ ad commodum accedit, detrahât enim amicitia, qui illam parat ad bonos casus. *Seneca. ibi in epist.*

87. Si aliquem amicum existimes, cui non tantum credis quantum tibi, vehementer erras, et non satis nosse vim veræ amicitia. *Seneca. in epist. 3.*

88. Falsi amici pro consilio adulationem adferunt, et una est eorum contentio, quis blandissime fallat. *Seneca. in extrema parte epist.*

89. Cum amicis breves rationes, longas amicitias, oportet habere. Principium amicitia, bene loqui: grandis exordium inimicitiarum, maledicere: amicum prosperitas invenit, sed adversitas probat. *Seneca. ibid.*

90. Amicos in secreto mone, palam autem lauda, vires tuas amici magis sentiant beneficiis, quam injuriis. *Seneca. de mo.*

91. Amici vitia si feras, facis tua. Ita amicum habeas, ut inimicum putes, ita crede amico, ne sit inimico locus. *Seneca in proverb. phi.*

92. Nulla pusilla domus, quæ multos recipit amicos. Talem diligentiam exhibe in amicis comparands, ne incipias amare, quæ deinceps possis odisse. *Sen. ibi.*

93. Quanti tales amicos habere voluerunt et ipsi tales esse non possunt. Tu primum exhibe te bonum, et quære alterum similem tibi. *Ibidem.*

94. Amico mutuam roganti me pecuniamisi dederò, et amicum et pecuniam perdo. *Ibid.*

95. Coagulum amicitia, est cum bonis convivium. *Ibidem.*

96. Expedit jam probatos amicos amare, non amatos probare. *Theophr. ibid.*

97. Non opto ut eos, qui divites sunt, amicos habeam: amicus raro acquiritur, cito perditur. *Ibid.*

98. Ad emendationem sui unusquisque nostrum debet habere aut valde amicum, aut valde inimicum. *Diog. ibi.*

99. Diu deliberatos amicos elige, electi infideles esse poterunt, judicaque eos, in affectu non uno habeas merito. Amicos sequere, quos non pudeat elegisse, amici vitam tuam imputa gloriam. *Ibid.*

100. Theophrastus cum quidam diceret: Ille illius amicus est, cur ergo, inquit, illo divite pauper est? amicus non est, qui fortunæ particeps non est. *Ibid.*

101. Amicum blandum cave, cui amarum est, semper, quod fuerit dulce, fortunato amico vocatus, infortunato semper præsto sis. Bonus amicus læsus graviter irascitur. *Theoph.*

102. Optima medicina homini est homo, qui ejus remediatur adversis, qui ejus condescendit incommodis, qui gravia levigat, qui amici onera quasi juncto humero simul portat, nec enim verus amicus impatientius propriam injuriam sustinet, quam amici. *Petr. Blesen. in libello de amicitia.*

103. Amicitia est divitibus pro gratia, pauperibus pro censu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute,

pro medicina ægrotis, pro vita mortuis. Est enim ejus, suavissimus fomes, sinceritas affectionum, mutua obsequia rerum honestarum, crebra collatio, parilitas voluntatum vigens et inviolabilis fides. Vera enim amicitia inter honos tantum oriri solet, inter meliores proficere, inter optimos consummari. *Ibid.*

104. Quatuor sunt vitia, quibus præclarus honor amicitia sapius obfascatur, scilicet iracundia, instabilitas, suspicio, atque garrulitas. *Ibid.*

105. Si fidem amici experiri volueris, non ei prius tui cordis arcana committas, sed aliqua exteriora et modica, de quibus non magnum emergat dispendium, si fuerint revelata, et ea nihilominus sub ea cautione et admiratione terribili credas, ac si obesent prodita, et prodesent celata. *Pet. Bles. ibid.*

106. Vera amicitia eodem oculo respicit amicum divitem et mendicum, fortem ac debilem, sanum et ægrum, humilem ac sublimem. *Ibidem.*

107. Si videris hominem anxie appetentem quod per te præstare possis, si in hujusmodi rei obtentu ei aliquis præferatur, facile, quia tibi adhæserit, intentione patebit. Nam in hujusmodi casu nunc ex dejectione oculorum, nunc ex vultus aversione, nunc ex verbo subtristiti, nunc ex risu ficto, nunc ex reverentia et obsequio negligentiore ambitiosæ mentis agritudo poterit apprehendi. *Ibidem.*

108. Amicus non subito est publice objurgandus, donec ex turbatione recenti adhuc est inquietior ager. Ægri animus cauta dissimulatione levandus est, donec mentis nubilo serenato, auris pacatior verba blande momentis admittat. *Ibidem.*

109. Veteris amicitia vestigiis aliqua reverentia semper impendenda est, nisi eam enormitas reatus eliminet. Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturæ possit extrema delere vestigia. *Ibidem.*

110. Licet vera amicitia solum requirat affectum liberalem: tamen obsequium non excludit, sed eo potius illustratur, unde quidam dixit: Tantum diligo inimicum qui mihi nihil facit mali, sicut amicum, qui nihil facit boni. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Acceptio núm. 7. in tit. Adjutorium núm. 4, 18, 24. in tit. Adulatio núm. 2, 3. in tit. Amisio núm. 13, in tit. Consilium núm. 5. in tit. Dilectio núm. 21. in tit. Divitiæ núm. 22, 33. in tit. Fraternalitas inimicilia, núm. 9, 11, 13. in tit. Prosperitas núm. 12, 28. in tit. Societas núm. 6, 7.

AMISSIO RERUM.

1. Potes aurum perdere et nolens, potes domum, potes honores, potes ipsam carnis salutem, bonum verò quo verè bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis. *Augu. de ver. domini.*

2. Sine dolore non pereunt, quæ cum amore possessa sunt. *Augu. in Enchirid.*

3. Magna consolatio in rerum amissione est, illa tempora ad mentem reducere, quibus nos conligit res, quas perdidimus, non habuisse: ut dum unusquisque intuetur quod aliquando illa non habuit, dolorem temperet, quod amisit. *Greg. li. 3, moralium.*

4. Sine dolore amittitur, quicquid sine amore possidetur. Quæ verò ardentè diligimus habita, graviter suspiramus ablata. *Greg. 3. mor.*

5. Quanto minor in possessione commoditas, tanto minor in amisione dolor. *Idem in homilia.*

6. Cum gravi dolore amittuntur, quæ cum magno amore habentur, minus autem carendo dolemus, quæ minus possidendo diligimus. *Isid. 5. de sum. bon.*

7. Nihil perdit qui se habet. Circumspice ista, quæ nos agunt in insaniam, quæ cum plurimis lacrymis amittimus: scies enim non damnum in his molestum esse, sed opinionem damni, pecuniam minorem habebis, nempe et molestiam, gratiam minorem nempe et invidiam, scilet minorem habebis. *Sen. 85. epi.*

8. Pecuniam perdidisti, et illam quæ multos habet perdidisti, fortassis te illa perderet. O te felicem, si cum illa avaritiam perdidisti. Pecuniam perdidisti, antequam tu haberès, alius perdiderat, oculos perdidisti, quàm multis cupiditatibus vita incisa est. Liberos amisisti, stul-

tus est, qui mortem mortalium deslet. Perierunt perituri, habebant illi cujus magis essent, quàm tui, apud te precariò morabantur, educandos tibi illos fortuna mandaverat, recepit illos non abstulit. *Sen. de reme. fortuitorum.*

9. Oculos perdidisti, habet et nox suas voluptates, non intelligis partem esse innocentiae cæcitatem, huic oculi ad alterutrum monstrant, huic incæstum, huic domum quam concupisceret, huic urbem, irritamenta vitiorum, sunt duces scelerum. *Sen. ibid.*

10. Nudus existi, omnia perdidisti, sed cum omnibus perire potuisti. Cogitas quod perdidideris, sed non quod evaseris. *Sen. ibid.*

11. Pecuniam perdidisti, eris nunc in via expeditior. Exoneravit te fortuna, si intelligis, et tutiore posuit loco. Damnum putas, remedium est. Deslens miserum te clamitas, quod opibus excusus es, tuo vitio ista tibi jactura tam tristicus est. Non tam molestè ferres, si tanquam perditurus habuisses. *Sen. ibid.*

12. Uxorem bonam amisisti, utrum inveneras bonam, an feceras? Si inveneras, habere te posse aliam ex hoc intelligas. Si feceras bene tibi spera, res perit, salvus est artifex. *Senec. ibidem.*

13. Amicum perdidisti. Si unicum, erubescere. Quid in tanta tempestate ad unam anchoram stabas? Alium quære, et cum eum quæras, ubi invenias, quære inter liberales artes, inter certa et honesta officia, quære in laboribus, ad mensam res ista non quæritur. *Sen. ibid.*

14. Multa tibi posum ostendere, quæ acquisita acceptaque libertatem nobis extorserunt. Nos essemus nostri, si ista nostra non essent. *Sen. 61. epi.*

15. Id agamus, ut jucunda nobis amissorum fiat recordatio. Nemo libenter ad id redit, quod sine tormento cogilaturus non est. *Sen. 65. epi.*

16. Nullius rei amissio facilius est, quàm quæ desiderari amissa non potest. *Sen. epi. 4.*

17. Silihon capta patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex incendio publico solus et tamen bea-

tus exiret, interroganti Demetrio, nunquid omnia perdidisset, respondit: nihil, inquit, perdidit, omnia mea mecum sunt, iustitia, virtus, prudentia. Nihil bonum putare potuit, quod eripi posset. *Seneca epi. 1.*

18. Aspicere oportet, quod possis perdere dimissum; quod nescitur, non amittitur. Homo toties moritur, quoties amittit suos. *Seneca in prover.*

19. Bias omnibus amissis, omnia, inquit, mea bona mecum porto. Pectore enim illa gestabat, non humeris nec oculis videnda, sed animo aestimanda, quae domicilio mentis inclusa, nec mortalium, nec Deorum manibus labefactari quaerunt. *Val. max. lib. 1.*

AMOR.

1. Quid est amor, nisi quaedam vita duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, et quod amatur?

2. Amari non nisi nota possunt.

3. Amare alium non potest, qui seipsum non amat.

4. Quaecumque amore possessa sunt, non sine dolore pereunt.

5. Non amatur quod propter se non amatur. *Aug. de uni. Bap.*

6. Amatur aliquando res bona non bono amore. *Aug. con. Manich.*

7. Sordes animi sunt, amor quarumlibet rerum praeter animum et Deum, à quibus sordibus quantum quisque est purgator, tanto verum facilius intuetur. *Aug. de util. cred.*

8. Nihil tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. *Aug. de mor. eccle. contra manich.*

9. Omnis creatura cum bona sit, et bene amari potest, et malè. Bene scilicet ordine constituto: male ordine perturbato. *Aug. de civi. Dei lib. 15.*

10. Duas civitates duo faciunt amores, Jerusalem facit amor Dei, Babyloniam facit amor saeculi. Interrogat igitur se unusquisque quid amet, et inveniet unde sit civis. *Aug. sup. psal. 64.*

11. Ad Deum, qui ubique praesens est, ubique totus est, non pedibus licet ire, sed moribus: mores autem nostri non ex eo quod quisque novit sed ex eo quod diligit, dijudicari solent, nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni vel mali sint amores. *Aug. in episcop. ad Maced.*

12. Beatus qui amat te, et amicum in te, et inimicum propter te. Solus ille charum amittit, cui omnes in illo chari sunt, qui non amittitur. Te nemo amittit nisi qui dimittit, et quò itur, nisi à te placato ad te iratum? *Augu. in li. confess.*

13. Ponderibus suis aguntur omnia, et loca sua petunt. Ponderis meum, amor meus, illo feror quocumque feror. *Aug. lib. 15. confessionum.*

14. Verus amor non sentit amaritudines, sed dulcedinem, quia soror amoris dulcedo, sicut soror odii est amaritudo. *Ibid.*

15. Qui amat, non laborat: omnis enim labor non amantibus gravis est. Solum amor est, quod nomen difficultatis erubescit. *Aug. ibi.*

16. Nulla major est ad amorem invitatio, quam praevénire amantem, et nimis durus est animus, qui si dilectionem volebat impendere, nolit rependere. *Aug. de catech. rudi.*

17. Nullo modo onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant: sicut venantium, aucupantium, piscantium. In eo enim quòd amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. *Aug. in li. de sancta vidu.*

18. Ama amorem illius, qui amore tui amoris descendit in uterum virginis, et ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suae aeternitatis limo tuae mortalitatis. *Aug. de cate. rudi.*

19. Constans et perfectus debet esse amor noster, ut si necesse fuerit, amore illius moriamur, qui amore nostri placidè ac benignè mori dignatus est. *Aug. ibi.*

20. Minus Domine te amat, qui aliquid tecum amat, quod propter te non amat. *Augu. in li. confess.*

21. O, si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! *Augu. de doct. Christiana.*

22. Hoc habet impatiens amor, ut quem desiderat, semper invenire se credat. Ignorat siquidem iudicium, et ratione multoties caret, necit modum, nec aliud cogitare potest, quàm quod diligit. Amor non accipit de impossibilitate solatium, nec ex difficultate remedium, nec consilio temperatur, nec pudore frænatur, nec rationi subijcitur. *Amb. in sermo. de assump.*

23. Non minus vos diligo, quos genui ex evangelio, quàm si suscepissem conjugio. Gratia quippe vehementior est ad diligendum, quàm natura. *Amb. de off.*

24. Nihil amantiibus durum, nullus labor difficilis: amemus et nos Christum, et facile videbitur esse difficile. *Hiero. in ser. quodam.*

25. Felix conscientia illa, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, nullus alius versatur amor, nec ad recordationem hominis aliquando suspirat, nec videre desiderat quod quum viderit, nolit dimittere. *Hiero. in epist. ad Demetr.*

26. Crebra munuscula, et sudariola, et fasciolas, et vestes ori applicatas, et oblatos ac degustatos cibos blandasque ac dulces litteras sanctus amor non habet. *Hier. in epi. ad Nepotia.*

27. Amor formæ, rationis oblivio.

28. Tunc plenius in Dei dilectione proficimus, quum in ejusdem dilectionis gremio, prius proximi charitate lactamur. *Greg. 5. li. morali.*

29. Solent nonnulli in prosperis Deum diligere: in adversis autem flagellantem minus amare. *Greg. 2. lib. mora.*

30. Amanti Deum dilatio imponitur, ut ex dilati amoris desiderio meritum retributionis augeatur. *Greg. 16. lib. mora.*

31. Tanto quisque à superno amore disjungitur, quanto inferius delectatur. Nunquam est amor Dei ociosus, operatur enim magna si est, si autem operari renuerit, amor non est. *Greg. in hom.*

32. Tantum quilibet portat proximum quantum amat. Si enim amas, portas, si desistis amare, desistis et tolerare. *Greg. super Ezech.*

33. Ille in amore Dei major est, qui ad ejus amorem plurimos trahit. *Greg. in hom.*

34. Certè jam monumentum vacuum viderat, jam sublatum dominum nunliaverat, quid est quod se iterum inclinat? iterum videre desiderat? Sed amanti semel aspicere non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. *Greg. in homil. Maria stabat ad monumentum. etc.*

35. Mulier quid ploras? quem queris? Interrogatur causa doloris, ut augeatur desiderium quærentis, qualenus cum nominaret quem quæreret, in amore ejus ardentius æstualet. *Greg. ibid.*

36. Vehementer claudit oculum cordis amor privatus, ex quo fit, ut hoc quod agitur et grave esse non æstimemus, plerumque cum agatur à proximo et nimis detestabile esse videatur. *Greg. super Ez. ho. 2.*

37. Vis amoris hoc agere solet in animo, ut quem semper ipse cogitat, nullum alium credat ignorare. *Greg. hom. 25. sup. illud Evang. Domine si tu sustulisti eum, etc.*

38. In quantum quisque amat, in tantum ad ingressum regni approquinquat. In quantum verò amare negligit, in tantum ingredi recusat. *Gre. ib. super Ezec.*

39. Amorem nostrum erga proximum plus bona opera loquantur, quàm lingua, ut in ipso bono opere, proximus amari se videat, et quum tantum non possumus quantum volumus operari, omnipotenti Deo occulta cordis nostri sufficiunt. *Idem super. Ezec.*

40. Per amorem Dei amor proximi gignitur: et per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profecto Deum diligere nescit,

et tunc plenius in Dei dilectione proficimus, si in ejus dilectionis gremio, prius proximi charitate letamur. Amor Dei amorem proximi generat: et amorem proximi calefacit amor Dei. *Greg. in quadam ho. sup. evan.*

41. Nemo aliquem amat, quem non vult esse meliorem. *Greg. 12. Moral.*

42. Non enim presentior est spiritus noster ubi animat quam ubi amat, nisi forte magis putetur esse ubi vincit ex necessitate tenetur, quam quò sponte et alacri fertur voluntate. *Bern. de præcepto et dispensatione.*

43. Sapientia est Deus, et vult amari non solum dulciter, sed et sapienter, aliòquin facillimè zelo tuo spiritus illudet erroris, si scientiam negligas. Non enim habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quam si efficere possit, ut in ea incaute, et non cum ratione ambuletur. *Bern. super canti. sermo. 50.*

44. Dilexit nos Deus dulciter, sapienter, fortiter. Dulciter nempe dixerim, quia carnem induit; sapienter, quia culpam cavet; fortiter, quia mortem sustinuit. Disce ergo Christiane à Christo quemadmodum diligas Christum, disce amare dulciter, ne illecti, prudenter, ne decepti, fortiter, ne compressi deficiamus. *Bern. super canti. sermo. 20.*

45. Toto corde, tota anima, tota virtute diligere est, omne quod blanditur de carne propria vel aliena, sacrosanctæ carnis Christi, amori postponere. *Bern. ib.*

46. Magna res amor, si ad suum recurrat principium, si suæ origini redditur, si refusus suo fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. *Bern. ibid.*

47. Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Grecè loquentem intelliget, qui grecam linguam non novit? nec latine loquentem, qui latinus non est? et ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit. Erit inquam sicut æs sonans et tintinabulum linniens. *Bern. in quadam ser.*

48. O jugum sancti amoris, quam dulciter capis, gloriosè laqueas, suaviter premis, delectanter oneras, fortiter stringis, prudenter erudis? O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, præmiorum sublimitas. *Bern. in lib. de diligen. Deum.*

49. Prior Deus dilexit nos, tantus, tantum, et gratis, tantillos et tales. *Bern. ibid.*

50. Vultis à me audire quare et quomodo diligendus est Deus? et ego dico quod causa diligendi Deum, Deus est, modus sine modo, diligere ob duplicem causam, dico Deum propter se diligendum, vel quia nihil justius, vel quia nil fructuosius diligi potest. *Bern. in li. de amore Dei.*

51. Amor pudorem, modum consilium non habet. *Bern. super Cant. serm. 75.*

52. Amor purus mercenarius non est. *Id. ser. 83.*

53. Amor ubi est, labor non est. *Id. ser. 86.*

54. Nemo amatorum carnalium, etiam si sit supra modum insaniens, ita exardescere potest in amorem dilectæ suæ, quemadmodum Deus effunditur in amore animarum nostrarum. *Chry. sup. illud, sic Deus dilexit mundum.*

55. Quos amamus, nunquam morsu petimus.

56. Amamus non ex necessitate.

57. Amare nescire turpe est.

58. Amor est dulcedo saporis intimi, et quanto ardentius amat, tanto suavius gustat. Cingulum, quo cingitur amor, est gaudium spei: quia ubi est amor, ibi est spes, ibi gaudium. Ubi spiritualis amor, ibi spirituale gaudium. *Richard. de s. Victore.*

59. Verus amor veritatem amat, in veritate iudicat, pro veritate certat, cum veritate opera consummat. *Beda sup. Lucam.*

60. Si vis perfectè purgari à vitiiis, in quantum præuales, accende in te ignem divini amoris. Si dulcedinem divini amoris perfectè gustaveris, de temporali dulcedine non curabis. *Rabanus in quadam serm.*

61. Multum quidem vexat hominem, quum relinquitur amor mundi, multo amplius tamen cruciat, quum calcatur amor sui, verunlamen super omnia transigit et penetrat cor hominis, et excoquit desiderium æstibus amor Dei. Unde est illa vox, Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. *Beda sup. cantica.*

62. Amor divinus, est ignis, lux, mel, vinum, sol. Ignis, in meditatione purificans mentem à sordibus. Lux est in oratione, mentem irradians claritate virtutum. Mel est in gratiarum actione, mentem dulcorans dulcedine divinorum beneficiorum. Vinum est in contemplatione, mentem inebrians suavi et jucunda delectatione. Sol est in æterna beatitudine, mentem clarificans serenissimo lumine et suavissimo calore, mentem exhilarans ineffabili gaudio, et perenni jubilatione. *Rab. in quodam ser.*

63. Qui vult veram dilectionem prægustare, Christus discat suaviter amare, quia Christus amor est. *Basil. in hexamero.*

64. Thesaurus indeficiens est amor divinus, quem qui habet, dives est: quo quicumque caret, pauper est. *Basil. ibid.*

65. Unguentum suave et optimum, est amor summi boni, quo pestes mentis sanantur, et cordis oculi illuminantur. *Ibidem.*

66. Nil durum, nil amarum, nil grave, nil letale computat amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem prævalent separare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica: Respuit jacula, gladium excutit, periculis insultat, mortem irridet: si amor est, vincit omnia. *Petr. Raven. in quodam ser.*

67. Ama ergo ò homo Deum, ama totus, ut possis omnia sine labore vincere et delere peccata. Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solo de cunctis criminibus reportare victoriam. *Petr. Raven. super illud. Diliges dominum Deum tuum.*

68. Amor verus est, si propter Deum amatur quod amatur.

69. Amare sic incipè, tanquam non liceat desinere. *Senec. in lib. de morib.*

70. Ames parentem, si æquus est: sin aliter, feras. Amans iratus multa mentitur sibi. *Sen. in pro-verb.*

71. Amans quid cupiat, scit: quid sapiat, non videt. Amans quid suspicatur, vigilans somniat. Amor extorqueri non potest, sed elabi potest. Ab amante lachrymis redimas iracundiam. Amare juveni fructus est, crimen seni. Amor est otiosæ causa solitudinis. *Ibidem.*

Vide etiam in tit. Amicitia, núm. 1, 3, 22, 76 et 37. in tit. Beneficia, núm. 16. in tit. Correctio núm. 7. in tit. Dilectio, Otiositas núm. 7. in tit. Opus, núm. 6. in tit. Timor, núm. 20, 21.

ANGELUS.

1. Præpositi sunt angeli cœlorum supra potestates aëreas, unde procedit verbum quod fit hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, jubentem sicut scriptura, sine syllabis, sine strepitu. Fixam semper et stantem intuentur angeli corde mundo, et ex illa faciunt quicquid hic fit. *August. super illud Psal. 103. Draco iste quem fecisti, etc.*

2. Utique noscunt angeli sancti, docti de Deo, cujus veritatis æterna contemplatione beati sunt, quanti numeri supplementum de genere humano integritas illius civilis expectat. *August. in Ench.*

3. Per angelos Deus patribus loquutus est: et apparuit.

4. Angelus tuba Dei est.

5. Angelus officii non naturæ nomen est.

6. Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu natalitatis in custodia sui angelum deputatum. *Hier. sup. Matth. 5. 1.*

7. Superna illa civitas ex angelis et hominibus constat, ad quam tantum credimus humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos re-

mansisse: sicut scriptum est: Statuit terminos gentium juxta numerum angelorum Dei. *Greg. ho. 14 super Evangel.*

8. Unusquisque in quantum sufficit, si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bene operandum curat, si æternum regnum vel supplicium erranti denunciat, quum verba sanctæ annunciationis impendit, profecto angelus extitit. *Greg. in ho. 6. super Evang.*

9. Qui parva capiunt, sed tamen hæc eadem parva pie annuntiare fratribus non desistunt: isti in angelorum numerum currunt. Qui secretorum cœlestium summa capere prævalent, et nuntiare, etiam isti in archangelorum numerum deputantur. Qui amando ardent, et loquendo alios accendunt, isti Seraphim dicuntur. *Ibi. in hom.*

10. Angeli cum ad nos veniunt, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam desinant interius per contemplationem. Mittuntur igitur et assistunt, quia et si circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus ipse, qui Deus est, circumscriptus non est. Angeli itaque et missi ante ipsum, qui à quolibet missi veniant, intra ipsam currunt. *Greg. ibi. in hom.*

11. In hoc est natura angelica à naturæ nostræ conditione distincta, quod nos et loco circumscribimur, et cæcitalis ignorantie coarctamur: Angelorum vero spiritus loco quidem circumscribuntur, sed tamen eorum scientiæ longe super nos incomparabiliter dilatantur. Interius et exterius sciendo distincti sunt, quoniam ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt nesciant, qui scientem omnia sciunt? *Greg. 2. lib. Moral.*

12. Novem angelorum esse ordines testante sacro eloquio scimus, scilicet angelos, archangelos, virtutes, potestates, principatus, dominationes, thronos, cherubim, adque seraphim. *Greg. in hom.*

13. Angelorum vocabulum, nomen est officii, non naturæ; nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus semper

sunt spiritus, sed semper vocari angeli nequaquam possunt. Tunc solum sunt angeli, quum per eos aliqua nuntiantur. Unde Psalmus: Qui facit angelos suos spiritus. Hi ergo qui minima nuntiant, Angeli: qui verò summa nuntiant, Archangeli vocantur. Græca enim lingua angeli nuntii, archangeli verò summi nuntii vocantur. Qui idcirco privatis nominibus censeantur, ut Michael, Gabriel, Raphael, ut signetur etiam per vocabula, quid in operatione valeant. *Greg. in hom. Erant appropinq.*

14. Timet angelus adorari ab humana natura, quam videt in Deo sublimatam. *Greg. ibi.*

15. Angeli ad ministerium pro nostra salute semper mittuntur. *Greg. in epist.*

16. Angelo apostatæ similis efficitur homo qui hominibus esse similis deditur. *Ibidem.*

17. Simus devoti, simus grati tantis custodibus, redamemus eos, quantum possumus, quantum debemus affectuose, ideò angelos ejus tanquam futuros aliquando cohæredes: nos vero interim actores et tutores à patre positos et prepositos nobis, adhuc enim parvuli sub tutoribus et actoribus sumus. *Bernar. in serm. de Angel.*

18. Quoties ergò gravissima cernitur urgere tentatio, et tribulatio vehemens imminere, invoca custodem tuum, directorem tuum, adjutorem tuum in opportunitatibus tuis. In tribulatione verò neque dormitat neque dormit, etsi quando ad tempus dissimulat.

19. Væ nobis, si quando provocati sancti Angeli peccatis et negligentis, indignos nos judicaverint præsentia et visitatione sua, et quorum præsentia protegere nos, et propulsare poterat inimicum. Quod si necessariam habemus familiaritatem dignationis angelicæ, cavenda est nobis eorum offensa, et in his maxime exercendum, quibus eos novimus oblectari. Hæc autem placent eis, quæ in nobis invenire delectant, ut est sobrietas, castitas, paupertas voluntaria, creber in cœlum gemitus, et super hæc omnia

veritalem et pacem à nobis exigunt. *Ber. ibid.*

20. Benignus es Domine, qui non es contentus nostra fragilitate murorum, sed ipsis hominum custodiibus angelicam custodiam supponis. *Ber. ibid.*

21. Tu ergo si vis habere ministerium Angelorum, fuge consolationes sæculi, et tentationibus resiste diaboli. *Bern. in ser. 40. super illud: Accesserunt ang. etc.*

22. Angelis suis mandavit de te, etc. O quantum debet tibi hoc verbum inferre reverentiam, asserere devotionem, conferre fiduciam, pro præsentia reverentiam, pro benevolentia devotionem, pro custodia fiduciam. Cautè ergo ambula, ubi sunt angeli, ut custodian te in omnibus viis tuis. *Bern. ibid.*

23. Credimus Angelos sanctos adstare orantibus offerre Deo vota et preces hominum, si sine deceptione levare puras manus prospexerint. *Ber. ibid.*

24. In quovis diversorio, in quocvis angulo reverentiam exhibe tuo angelo, ne audeas illo præsentem, quod me vidente non auderis. Adsunt igitur tibi non modo præsentem tecum, sed etiam pro te adsunt, ut protegant, adsunt, ut prosint. *Ibid.*

25. Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans gratia, non natura, et immortalitatem suscipiens: cujus substantiæ speciem et terminum solus, qui creator est, novit. *Damasc. lib. 2 c. 3.*

26. Boni angeli ad ministerium humanæ salutis deputati sunt, ut cunctis administrant mundi, et regant omnia jussu Dei. *Isidor. de sum. bon.*

27. Singulæ gentes præpositos angelos habere creduntur, omnes homines Angelos habere probantur. *Ibidem.*

28. Natura angelorum mutabilis est, quia inest illis mutabilitas in natura, sed fecit eos incorruptos charitas sempiterna. *Isid. ibid.*

29. Angeli sunt natura mutabiles conditi, sed facti contemplatione immutabiles, animo impassibiles, mente rationales, stirpe æterni, et beatitudine perpetui. *Ibi.*

30. Adest unicuique nostrum etiam minimo, qui sunt in Ecclesia Dei, Angelus bonus, Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actibus nostris corrigendis et miserationibus exposcendis quotidie videat faciem patris qui in cælis est. *Orig. sup. lib. Num. Hom. 66.*

31. Agunt angeli diem festum, lætantes super his, qui refugientes consortia dæmonum, per exercitia virtutum, angelicis festinant sociare consortiis. *Orig. ibi. Hom. 96.*

Vide etiam in tit. Creatio, núm. 4. in lit. Deus, núm. 22.

ANIMA.

1. * Animæ oculus, mens, *August. in solil. c. 5.*
2. * Animæ patria est Deus ipse. *Idem de quant. ani. c. 4.*
3. * Anima justii, est sedes sapientiæ. *Idem super Psalm.*
4. * Anima hominis aut à Deo aut à diabolo regitur. *Idem serm. 14. de Temp.*
5. * Animæ medicina est credere in Christo. *Idem de verb. Dom.*
6. * Anima etiam pessima, melior optimo corpore. *Idem lib. 9. de civ. Dei, c. 9.*
7. * Animas mortuas multi in corpore vivo habent. *Idem ho. 3. in Apocal.*
8. * Animæ mortuæ sepulchrum est corpus. *Idem super Psal. 87.*
9. * Vis ut animæ tuæ caro tua serviat? Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere. *Idem.*
10. O anima christiana, evigila: et si qua in te sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, Domini tui imitare vestigia. Considera quod millia martyrum triam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt martyres, transierunt pueri et puellæ, et adhuc times? quia docet te ille, qui est via, veritas et vita. Via non errans, veritas non fallens, vita non deficiens. Via in exemplo, veritas in promisso, et vita in